Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Karlsruhe 504

[S.l.], [11./12. Jh.]

Explanatio in calculum Victorii quam Ysagogen arithmeticae dicimus

urn:nbn:de:bsz:31-35452

Visual Library

Incipit explanatio in calculum Victorii quam ysagogen arithmeticae dicunt

Calculum Victorii dum quondam fratribus qui manu sancti desiderii pulsabant intima pec-
toris mei pro modulo meae paruitatis traderem, et pro cordiali amore eis devinct-
a vera obedientia inseruirem, summis eorum precibus coactus negotium cui vires vix suffici-
unt aggredior, et quae verbotenus simpliciter prosequebar, caritatis optentu in incertum
ut quaedam elucubrationis commenti in paginis inderem, ac abiectis pluribus sententiis ali-
quanto lucidius enuclearem. Quippe cum desit vocis interdum signis vocum memoria amissa
recipitur, blandaque modulationis serie quasi de gravi somno evigilans quod desiderat as-
sequitur, ac in alta mente iteratum saepius firmiter stabilitur. Unde et si imposito oneri im-
becilles succumbunt humeri, tamen de adiutorio dei confidens totis viribus enitar, paucaque
aperire temptabo quae vix attemptare audeo, eorum votis annuens ex toto, quibus me
et mea studia prodesse sedulus gestio. Cum enim ut filii patri servirent liberaliter
et sine invidia non ad oculum se alter alteri in meo servitio praeferret, ingratum esse potui-
ssem si spretis eorum suggestionibus apparuissem immemor accepti beneficii, qui ex quo illis
praecordialiter adhesi, semper mea commoda ex eorum comparavi commodis. Cui quidem otium in silen-
tium in discendo hactenus consumptum post optatam nactus occasionem placuit in honestius
vertere negotium, quia cum esse questum maximum in animum duxi meum, quam maxime ser-
vire commodis omnium bonorum, praesertim cum artem ad summam utile, et nihil umquam
fuerit tuta iucundius quam discere aut docere attentius. Nam a primevo aetatis tyro-
cinio vigit indoles liberalium artium disciplinae, quarundam incuria ac neglegentia
labefactari, et vix ad paucos redigi, qui avare praetium suae statuunt arti. Quapropter
ne videar vel officio singulari quod superbiae vel aliena felicitate torqueri quod invidiae consume-
est insipientiae, supputandi magisterio minus eruditorum animos afficere multipli-
citer exopto, quibus sub expositionis tenore ad arithmeticam introductionis pontem
construo. Sed Victorii praefatione utitur opera prologi abutitur, quia narrationis argumenta non
colligit, licet multa proponat sequentis operis, quae inbuendis planiora singillatim facere
decrevi, nequis liber desses fructu lectionis sicuti invacuum laboret. Ubi adver-
tendum primitus, quod sicut solet quaeri in narrationum exordiis, hic benivolentia at-
tentio et docilitas captatur auditoris, de quibus erit sermo in contextu ipsius praefationis.
In praesentiarum tamen intentio Victorii hoc fuit, ut inerrato lector numerorum summam
multiplicaret, divideret, seu proponeret aliquid de artibus quae numerorum ratione
constant, ut arithmetica, geometrica, musica et astronomia, seu quaestio inerit
de mensura et pondere, quia omnia calculatoris sunt curae. Denique et huius calculi quanta sit
utilitas agnoscere potuit ex praecedentibus dictis, etiam si ad qualibet rationem temporum
ob difficultatem multiplicandi nullo modo desudavit, qui talium rerum saltem parvam intel-
legentiam accepit. Verum quoniam omnia creata sunt in numero, mensura et pondere, inibi sin-
gulis speculationem placet constituere, ut prospecta eorum natura facilius perviderи pos-
sint singula quibus insistimus in causa. Unde hinc congruum sumatur exordium.